

XVII

606

G

Z



F



CH



A

C




BIBLIOTEKA  
Zakł. Nar. Im. Ossolińskich  
XVII 606


Zapisk. 1828  
Wron. pol.  
Sp. A.  
428

8565

Wron. pol.  
428

rejestr





INDEX  
LIBRORVM  
PROHIBITORVM

CVM REGVLIS CONFECTIS  
*per Patres à Tridentina Synodo delectos.*

Auctoritate PII IV. primùm editus.

*Postea*

A SIXTO V. AVCTVS.

*Et nunc demum*

S. D. N. CLEMENTIS PAPÆ VIII. IVSSV  
• recognitus & publicatus.

INSTRVCTIONE ADIECTA

*De exequenda prohibitionis, deq; sincerè emendandi & im-  
primendi libros, ratione.*

*Joannis Protroglii S. V. C. Protogonary  
Aptici L in Furass. S. A. M. Secretarij.*

ZAMOSCI *Cesul*

Martinus Lenscius Typogr. Acad. excudebat

Anno Domini M. DC. IV.

*Carmel Discet Sonueroy  
Crasuier S. Michaelis*

*Balsolo: Botko obula  
L. T. Stanlau Annoni Botko  
Cv Ppo Belben*



XVII - 606 - III

GEORGIVS ZA-  
MOYSKI A ZAMOSCIE DEI  
ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA

Episcopus Chelmenfis Abbatia Czervenensis  
perpetuus Administrator.

Vniuersis Christi fidelibus in Dicecesi no-  
stra constitutis, potissimum verò illis, ad  
quos cura animarum & institutio iuue-  
tutis pertinet :

SALVTEM IN DOMINO.



*Scriptores, qui Christianis tempo-  
ribus, literarum monumentis, me-  
reri de ecclesia, & inde præmiū sibi  
æternum apud Deum, parare stu-  
debant; hoc ferè inspiratione diui-  
na propositum habebant, vt ea scri-  
ptis suis proderent, quæ vel ad fidem tuendam,  
vel ad mores formandos, aut ad veritatem histo-  
riæ Ecclesiasticæ stabiliendam corroborandamque  
pertinere illis viderentur. Contrà hostis huma-  
næ Salutis, bonis studiis semper aduersari solit us,*  
(?) ij ope-

operâ suorum ministrorum usus, cum fidelium  
mentes corrumpere sibi proposuisset, nec ullo modo fi-  
eri posse intelligeret, vt illi quos perditio huic seruitio,  
tanquam mancipia quædam destinaret, cum omnibus  
coram colloquerentur, & in eorum aures, venenatas  
voces infunderent; contrariam viam ingressus, leui  
negotio, longè lateq;, perfidiæ, impietatis, & menda-  
ciorum suorum errores disseminauit: nam præter in-  
gentia volumina quibus Catholicam fidem pleriq; eius  
instinctu, euertere conati sunt, infinitos etiam libellos  
conscripserunt, qui cum pietatis speciem præferrent,  
incredibile est quam facile incautos simplicium ani-  
mos deceperint, atq; à fidei & Ecclesiæ vnitatis auer-  
terint. Alij turpitudine narrationum, & argumenti  
obscenitate, eiusdem artibus & fallaciis id effece-  
runt, vt virtus & honestas omnis ludibrio habitâ, inno-  
centia omnibus contumeliis exposita, modestia oratio-  
nis procacitate profcissa, pietas ignominiosè derisa,  
tantum impudentiæ, impietatis, ac improbitatum,  
quantum cernimus, in vitam communem inuexerit.  
Reliqui pro veritate doctrinæ cælestis, somnia & de-  
liramenta apocryphorum, eiusdem mendaci persuasi-  
one fidelibus obuiere minimè veriti sunt, vt iam adesse  
videri cuiquam posset illud tempus, quod fatidico spi-  
ritu à Doctore Gentium affore prædictum est,  
pluri m



plurimi in Ecclesia Dei sanam doctrinam non susti-  
nentes, ad sua desideria coaceruaturi sibi essent Ma-  
gistros prurientes auribus, & à veritate auditu auer-  
so, ad fabulas conuenterentur. Prudenter inde à  
Sanctis patribus omni ferè istorum sæculorum decur-  
su, his tantis malis obuiam itum est, atq; prospectum;  
ne quod tale scriptorum genus, ad manus aut notitiam  
fidelium veniret, quod vel fidei puritatem vitare, vel  
morum integritatem lædere, aut veritati, cuius luce  
menti humanæ nihil est dulcius, vllò modo officere pos-  
set. Et cum difficile sanè esset ex tot turbidis men-  
daciorem lacunis puram defecatamq; haurire verita-  
tem: complures Romani Sanctissimi pontifices diffi-  
cultate ista haud deterriti, (dummodo fidei & doctri-  
næ Catholicæ puritatem sinceram, saluam, integram  
in Ecclesia, tanquam pretiosum depositum, à Christo  
Domino sibi creditum, fideliter conseruarent;) sum-  
mo studio, aduigilârunt: ac lucem à tenebris se-  
iunxerunt, quæ amplectenda quæ fugienda es-  
sent indicârunt: probatos de fide, moribus, & ve-  
ritate libros; à suspectis de hæresi, lasciuis, & fa-  
bulosis, admirabili diligentia distinxerunt: vt meritò  
vnusquisq; illorum os Domini dici posset, quod solum,  
vt Propbeta ait, mundum ab immundo, pretiosum à  
(?) iij vili,

vili, & nouerit & potuerit separare. Testatum hoc  
insuper suis tantis laboribus facere voluerunt, Eccle-  
siam quæ columna & firmamentum veritatis est,  
nunquam docendæ & testandæ veritatis laborasse  
inopia, vt si ex scripturis apocryphis, petitæ probatio-  
nes deessent, causâ caderet: cum tam in his quæ spe-  
ctant ad sincera dogmata statuenda, quàm in iis quæ  
pertinent, ad rectam & veterem disciplinam proban-  
dam, referta habeat locupletissima promptuaria pro-  
batissimæ veritatis, cuius nulla prorsus possit vnquã  
de impostura esse suspicio. Unde etiam cum agendum  
est de Ecclesiasticis controuersis, ab Epistolarum ci-  
tatione, quæ à tot Romanis Sanctitate & doctrina  
præstantissimis Pontificibus, in sinu propè ipso Eccle-  
siæ Catholicæ relictæ habentur, sapientia & pietate  
insignes huius sæculi scriptores, se consultò abstinere  
quandoq; , profitentur; quippe quibus ad faciendam  
vindictam in nationibus, & increpationes in populis,  
quod habet Psalmus, ex sanctæ Ecclesiæ armamen-  
tario, fortiora arma suppetant. Turris hæc illa Da-  
uidica est, & edificata cum propugnaculis, mille clypei  
pendent ex ea, omnis armatura fortium. Vbi inter a-  
lia arma gladio etiam illo, quo aliquando vsus esset  
hostis, eiusdem Davidis sententiã, validiore vt un-  
tur. Hæc tot & tanta sanctorum Patrum in indi-  
candis

landis & proscribendis perniciosis libris studia, uti-  
nam pari zelo, utilitate, ac de Ecclesia Dei merito,  
sequamur; quo Illustrissimus & Reuerendissimus  
D. Bernardus Maciejowski S. R. E. Cardinalis,  
Episcopus Cracouienſis secutus est, qui contaminata &  
detestabilis huius, quam sani & boni omnes explosam  
& profligatam cupiunt, doctrinae libros in Polonia o-  
lim, & sua etate editos, per suam Diocesim con-  
quisitos, ad hunc Romanum Indicem admodum sa-  
lutari fidelium cautione apponi curauit; quo in gene-  
re tantum studio & prouidentia sua praestitit, ut  
vix aliquos scriptores, à nobis in his ipsis prohi-  
bitorum Auctorum & librorum tabulis annotandos,  
reliquisse videatur. Quauquam fecimus quod potu-  
imus & nos, ac praeter Pauli Benij Eugubini librū,  
superiore anno Patauij editū, & in Indicis appendice  
secundae classis, ex praescripto Praefationis, ad volun-  
tatē & Imperium S. D. N. Clementis viij. alphabeti  
in ordine adscriptum: libros etiam Nationis nostrae,  
nostra in Diocesi inuestigatos, haeresis & obscenita-  
tum labe pollutos, in Zamoscensi Academica Typo-  
graphia, Illustrissimi Domini Ioannis Zamoyſki Re-  
gni Poloniae Cancellarij Patroni nostri liberalitate,  
excudendos, & publicandos curauimus. Quocirca  
hortamur in Domino omnes, Ecclesiarum omnium  
tam

tam secularium quam regularium Prælatos, Rectores, eorumq; Commendatarios, Academiæ item Zamoscensis Rectorem, & quarumcunque facultatum Professores, Scholarum Rectores, ac vniuersos formatores iuuentutis, vt Indicem hunc diligenter & Regulas illi annexas relegant, nec ab iis quorum cura ad se in suo munere spectat, libros in eo descriptos, vel ad regularum præscriptum in posterum prohibendos, legi aut teneri patiantur. Typographis verò & Bibliopolis mandamus, ne aut illi imprimere, aut hi impressos libros aliquos, venales proponere audeant; nisi prius per nos, aut à nobis deputatos Examinatores, recogniti & probati fuerint. Data ex Curia nostra Kumouienſi, xvij. Kal. Octobris. Anno Domini M. DC. IV.

CLEMENS

BREVE APOSTOL.  
CLEMENS  
PAPA VIII.



AD PERPETVAM REI MEMORIAM, Sacrosanctum Catholicæ fidei depositum, sine quo Deo placere, aut æternam salutem consequi nemini licet, vt saluū in Ecclesia Dei perpetuò conseruaretur, posterisq; inuiolatum traderetur, pastoralis Romanorum Pontificum vigilantia, summo semper studio & contentione laborauit. Ipsi enim à Christo Domino, huius tam preciosi depositi auctore, & illud fideliter custodiendi, & bonum semen patrisfamilias, ab inimici hominis zizaniis discernendi, & Ecclesiam saluari doctrina ædificandi, præcipuam curam, summamq; potestatem, in beatissimo Petro Apostolorū Principe acceperunt. Quocirca sanctæ memoriæ Gelasius I. & Gregorius IX. aliiq; complures Romani Pontifices, prædecessores nostri, zelozelati pro domo Domini exercituum, vt hanc fidei Catholicæ doctrinæq; integritatem, saluam, incorruptamq; in Ecclesia Dei retinerent, Apostolici animi magnitudine, pro muro domus Israël, aduersus eiusdem fidei hostes, se ipsos opposcentes: ne illorum dolis & insidiis, imprudentes & simpliciores homines caperentur, lucem à tenebris, praua à rectis seiunxerunt, quæ sequenda, quæ cauenda essent, Christi fidelibus declarârunt, probatos, laudabiles, orthodoxos libros, ab adulterinis, perniciosis &

A

apro-

## B R E V E

apocryphis, singulari diligentia distinxerunt: postremò, hæreticorum impia dogmata, & noxia ac venenata scripta, Conciliorum decretis, Pontificiis constitutionibus, aut alio opportuno censuræ genere condemnârunt. Sed cùm nostris hisce calamitosis & nouissimis temporibus, antiquus humani generis hostis, à sua malitia nunquam recedens, ad eandem Catholicam doctrinam, & veritatem labefactandam pestiferas hæreses, & detestabiles errores, aut novos conflasset, aut veteres ex inferis excitasset: sacra Tridentina Synodus, pestilentem noxiorum librorum copiam, quæ plus nimio excreuerat, coercere, atque auferre cupiens, primùm quidem, doctissimos aliquot viros delegit, qui de tota ea re cognoscerent & deliberarent, deinde verò cùm ij in negotio non parùm progressi essent, iustis de causis, eadem Synodus permota, ad ipsam Apostolicam Sedem, integram rem deferendam statuit. Itaque fel. rec. Pius Papa III. prædecessor noster, qui tunc ad Ecclesiæ gubernacula sedebat, Prælati quibusdam, doctrina & prudentia præstantibus, adhibitis, Indicem librorum prohibitorum, & Regulas quasdam, per suas literas in forma Breuis, promulgauit, & eiusmodi noxiorum librorum detrimentis depellendis, opportunè prouidit. Cæterum, licèt illa pro temporis ratione prudenter fuerint tunc constituta, tamen cùm Sathanæ astutia, in huiusmodi librorum editione noua in dies mala crescerent (nam post illud tempus alij etiam libri perniciosi partim qui scripti erant, & antea delituerant, in medium prodire, quorum lectione simpliciores & incauti homines in errores induci facilè poterant) Propterea piæ mem. Sixtus Papa V. prædecessor noster, multis illustratis,

tis, atque ad regulas adiectis necessariis rebus, mandauit, vt nonnulli alii eiusdem generis libri, eidem Indici adderentur. Verū cū idem Sixtus, re minimè absoluta, ab humanis excefferit: Nos animarum saluti, quantum cum Domino possumus consulentes, quod iam pridem vtiliter cœptum, & à multis diu desideratum erat, hoc tempore omnino perficiendum, atque in lucem edendum duximus. Venerabili igitur fratri nostro Marco Antonio Episcopo Prenestino de Columna, et dilectis filiis nostris, Augustino S. Marci de Verona, Simeoni Sanctæ Anastasiæ de Terranoua, Hieronymo Sanctæ Mariæ Surriæ super Mineruam Asculano, Federico Sanctæ Mariæ angelorum in thermis Borromæo, Francisco Sanctæ Mariæ Transpontinæ Toletio, titulorum presbyteris, necnon Ascanio Sanctæ Mariæ in Cosmedin de Columna diacono, Cardinalibus, super huiusmodi Indice per nos deputatis, aliisq; piis & eruditis viris in consilium adhibitis, ea omnia, ac singula, quæ à Sixto V. vt supra diximus, instituta erant, diligenter examinanda commissimus, quæ cum magno studio visa, ac Deo fauente, demum absoluta fuerint. Nos tam eandem Pij prædecessoris Constitutionem & Indicem, ac Regulas, quorum omnium tenores haberi volumus pro expressis, quàm hæc ipsa illis addita, prout inferiùs descripta sunt, omnia & singula, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, approbamus, & præsentis scripti patrocínio, communimus, atque ab omnibus tam Vniuersitatibus quàm singularibus personis, vbi que locorum existentibus, sub eisdem pœnis in dicta Pij Constitutione contentis, obseruari præcipimus, & mandamus. Quo autem faciliùs negotium, cū prohibitio-

nis, tum expurgationis & impressionis librorum peragatur, eas omnes facultates, priuilegia, & indulta, quæ recol. mem. Pius V. Magistro sacri palatij primùm, deinde Gregorius XIII. & Sixtus V. Cardinalibus Congregationis prædictæ concesserunt, quorum tenores hîc volumus haberi pro expressis, confirmamus, & quatenus opus est in nouamus, in his omnibus, quæ additis in hoc Indice, non aduersantur, volumusq; propterea, ac decernimus, vt si quæ in posterum dubitationes, aut controuersia circa ipsum Indicem, illiusq; Regulas, aliaque illis addita emerferint, ad Congregationem supradictorum Cardinalium, seu aliorum, qui pro tempore super Indice huiusmodi deputati fuerint, referantur, & ex sententia eorundem Cardinalium nobis, aut successoribus nostris, si rei grauitas id postulauerit, consultis, declarentur & decendantur; quorum auctoritatem, cum permittendis, tum prohibendis, expurgandis & imprimendis libris, aliisque ad eam rem pertinentibus, explicandis, volumus esse præcipuam, atque ita mandamus ab omnibus venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, & dilectis filiis Inquisitoribus, Vniuersitatibus, magistris, doctõibus, impressoribus, bibliopolis, mercatoribus, gabellariis, cæterisque omnibus cuiuscunq; gradus, ordinis, aut dignitatis, tam Ecclesiasticis sæcularibus vel regularibus, quàm laicis, quocunq; honore, vel dignitate præditis, inuiolabiliter obseruari. Non obstantibus Apostolicis, ac in vniuersalibus, Prouincialibus, & synodalibus Conciliis, editis generalibus vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis statutis & consuetudinibus, etiam iuramento



## A P O S T.

5

ramento confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, priuilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus, & formis in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, approbatis & innouatis. Quibus omnibus & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus, specialis, specifica, & ad verbum inserta mentio habenda esset, tenores huiusmodi præsentibus pro expressis habentes, hac vice duntaxat, specialiter & expressè derogamus, cæterisq; contrariis quibuscunque Decernentesi earundem præsentium exemplis, etiam impressis, Notarij publici manu subscriptis, & sigillo Prælati alicuius Ecclesiastici ob signatis, eandem haberi fidem quæ habetur etur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Tusculi, sub Annulo Piscatoris, Die decima septima Octobris, Millesimo, quingentesimo, nonagesimo quinto, Pontificatus nostri, Anno quarto.

*M. Vestrius Barbianus.*

A iij

PIVS

## PIVS PAPA III.

**A**D PERPETVAM REI MEMORIAM. Dominici gregis custodiæ, Domino disponente, præpositi, vigilis more pastoris, non desistimus, ipsi gregi ab imminentibus periculis, quanta maxima possumus cura & diligentia, præcauere; ne propter negligentiam nostram pereant oues, quæ preciosissimo Domini nostri Iesu Christi sanguine, sunt redemptæ. Etsi autem, quæ ad fidei veritatem patefaciendam, & ad horum temporum hæreses confutandas pertinebat, in œcumenico & generali Concilio Tridentino, sancti Spiritus assistente gratia, nuper adeò enucleata ac definita fuerunt, vt facilè iam sit vnicuique sanam Catholicamq; doctrinam, à falsa, adulterinaq; internoscere; tamen cum librorum ab hæreticis editorum lectio, non modò simpliciores homines corrumpere soleat, verùm sæpè etiam doctos, eruditosq; in varios errores, & à veritate fidei Catholicæ alienas opiniones inducere; huic quoq; rei esse duximus prouidendū. Cum autem aptissimum ei malo remedium esse sciremus, si componeretur atq; ederetur Index, siue catalogus librorum, qui vel hæretici sint, vel de hæretica prauitate suspecti, vel certè moribus, & pietati noceant: id negotium ad sacram Tridentinam Synodum reieceramus. Ea verò ex tanta Episcoporum, & aliorum doctissimorū virorum copia delegit, ad eum conficiendum Indicem, multos cum doctrina, tum iudicio insignes Prælatos, ex omnibus ferè nationibus; qui quidem non sine maximo labore, plurimisq; vigiliis, cum Indicem tandem, Deo iuante, perfererunt, adhibitis etiam in consilium lectissimis

mis quibusdam Theologis. Peracto autem Concilio, cum ex ipsius Synodi decreto, is Index nobis oblatus fuisset, ut ne ante ederetur, quam à nobis approbatus fuisset, nos doctissimis quibusdam, probatissimisque Prælatiſ, eum accuratissimè legendum examinandumque tradidimus, & ipsi etiam legimus. Cùm igitur eum magno studio, acri iudicio, diuturna cura confectum, & præterea commodissimè digestum esse cognouerimus: Nos saluti animarum consulere, eamque ob causam providere cupientes, ne libri, & scripta cuiuscunque generis, quæ in eo improbantur, siue ut hæretica, siue ut de hæretica prauitate suspecta, siue ut pietati, ac morum honestati inutilia, aut aliqua correctione saltem indigentia, posthac à Christi fidelibus legantur: ipsum Indicem, vnà cum Regulis ei præpositis, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus, imprimique ac diuulgari, & ab omnibus Vniuersitatibus Catholicis, ac quibuscunque aliis, vbique suscipi, easque Regulas obseruari mandamus, atque decernimus: Inhibentes omnibus & singulis, tam Ecclesiasticis personis secularibus & regularibus, cuiuscunque gradus, ordinis, & dignitatis sint, quàm laicis, quocunque honore ac dignitate præditis: ne quis contra earum Regularum præscriptum, aut ipsius prohibitionem Indicis, libros ullos legere, habere uideat. Si quis autem aduersus eas Regulas prohibitionemque fecerit, is quidem, qui hæreticorum libros, vel cuiusuis auctoris scripta, propter hæresim, vel falsi dogmatis susceptionem damnata, atque prohibita, legerit, habuerit uide, ipso iure in excommunicationis poenam incidat, eamque ob causam in eum, tanquam de hæresi suspectum inquiri, & procedi liceat: præter alias poenas super hoc, ab Apostolica Sede, sacrisque canonibus constitutas.

tutas. Qui autem libros alia de causa prohibitos legerit, habueritque, præter peccati mortalis reatum, Episcoporum arbitrio seuerè se nouerit puniendum: Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscunque, aut si quibus communiter, vel diuisim, ab eadem Sede sit indultum, ne excommunicari possint, per literas Apostolicas, non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Vt hæc autem ad omnium notitiam perueniant, neue quis excusatione ignorationis uti possit, volumus, & mandamus, ut hæc literæ per aliquos curiæ nostræ cursores in Basilica Vaticana, principis Apostolorum, & in Ecclesia Lateranensi tunc, cum in eis populus, ut missarum solemnitibus intersit congregari solet, palam, & clara voce recitentur, & postquam recitatae fuerint, ad valuas earum Ecclesiarum, itemque Cancellariæ Apostolicæ, & in loco solito Campi Floræ affigantur: ibique, ut legi, & omnibus innotescere possint, aliquantisper relinquuntur. Cum autem inde amouebuntur, earum exempla in iisdem locis affixa remaneant. Nos enim per recitationem hanc, publicationem, & affixionem, omnes & singulos, qui his literis comprehendantur, post tres menses, à die publicationis & affixionis earum, numerandos, volumus perinde astrictos & obligatos esse, ac si ipsismet illæ editæ, lectæque fuissent. Transumptis quoque earum, quæ manu alicuius publici Notarij scripta, subscriptaue, & sigillo, ac subscriptione alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, munita fuerint, fidem sine vlla dubitatione haberi mandamus, atque decernimus. Dat. Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die xxiiij. Martij, M. D. LXIII. Pontificatus nostri Anno Quinto.

*Antonius Florellus Lacllinus.*

P R Æ F A T I O 9.  
I N I N D I C E M L I -  
B R O R V M P R O H I B I T O R V M

Confectum à deputatione Tridentinæ Synodi  
R. P. F. FRANCISCI FORERII. Ord. Fratrum  
Præd. S. T. Professoris, & eiusdem Depu-  
tationis Secretarij.

**C**UM Sancta œcumenica Tridentina Synodus, iis rationibus adducta, quæ in secunda sessionis Decreto sub Beatissimo Pio. IIII. Pont. Max. explicatae sunt, censuisset, ut Patres aliquot, ex omnibus ferè nationibus delecti, de librorum censuris quid statuendum esset, diligenter cogitarent, in eam tandem sententiam, post diurnam deliberationem venerunt, ut iudicarent nihil utilius fieri posse, quàm si Romanus ille prohibitorum librorum Index, ab Inquisitoribus Roma postremò confectus, paucis tantùm demptis, atq; etiam additis, retineretur: quippe qui cum magna maturitate à multis viris doctis compositus, plurimos comprehendat auctores, atque in ordinem satis commodum digestus esse videatur.

Quoniam verò intelligebant, propterea in aliquibus Prouinciis, ac locis hætenus eum Indicem receptum non esse, quòd in eo quidam libri prohiberentur, quorum lectione viri docti priuati, magno incommodo afficerentur, atque animaduertentes etiam, in eo esse nonnulla parùm explicatè posita, quæ interpretatione indigerent, re, multum diuq; deliberationibus agitata, ac viris etiam ex omni natione, Theologica facultatis scientissimis, in consilium adhibitis, subiectas Regulas componendas indicârunt, ut quo ad eius fieri posset, dictorum hominû commodis & studiis, salua veritate ac religione, prospiceretur.

Illud igitur in primis obseruare oportet, vnâquâq; penè alphabeti literâ, tres habere Classes.

B

In prima

## P R Æ F A T I O.

In prima, non tam libri, quàm librorum scriptores continentur, qui aut heretici, aut nota heresis suspecti fuerunt: horum enim Catalogum fieri oportuit, ut omnes intelligant, eorum scripta, non edita solum, sed edenda etiam, prohibita esse.

Sed illud etiam animaduertendum est, quòd licet multi præterea sint, qui iustissimis de causis in hanc classem referri poterant, Patribus tamen non is fuit animus, aut ad eorum pertinebat institutum, ut eos ad unum perquirerent, sed iis penè contenti fuere, qui in Romano Catalogo descripti sunt, de aliis verò eiusdem generis auctoribus, idem ab Ordinariis & Inquisitoribus statuendum esse existimârunt.

In secundam Classem non auctores, sed libri sunt relati, qui propter doctrinam, quam continent non sanam, aut suspectam, aut quæ offensionem etiam in moribus tantum, fidelibus afferre potest, reiciuntur, etiamsi auctores, à quibus prodire, ab Ecclesia nunquam descuerunt.

Tertia verò & ultima classis, eos libros complectitur, qui sine scriptoris nomine exierunt in vulgus, & eam doctrinam continent, quam Romana Ecclesia tanquam Catholicae fidei, aut morum integritati contrariam, refutandam ac repellendam esse decernit.

Non enim omnes libros, qui nomen auctoris non præferunt, damnandos putârunt: quandoquidē sæpe viros doctos, ac Sanctos nouimus, ut Christiana quidem Resp. ex eorum vigilis fructum caperet, ipsi verò inanem gloriam euitarent, libros optimos sine nomine edidisse: sed eos tantum, qui aut liquido prauam, aut dubiam fidei doctrinam, sine moribus perniciosam continent.

At verò, qui sint huiusmodi, aut tales censeri debeant, præter eos, qui in hoc Catalogo descripti sunt: Episcopi & Inquisitores, unâ cū Theologorum Catholicorum consilio diiudicabant.

Sed propter nostrorum temporum malitiam, ne in posterum libri sine nomine auctoris edantur, decreto quartæ sessionis Tridentini Concilii, sub fel. rec. Paulo III. quod incipit. Sed & impressoribus &c. prouisum est.

# REGVLA I. 11

**L**ibri omnes, quos ante annum M. D. XV. aut summi Pontifices, aut Concilia œcumenica damnarunt, & in hoc Indice non sunt, eodem modo damnati esse censeantur, sicut olim damnati fuerunt.

## REGVLA II.

**H**æresiarcharum libri, tam eorum, qui post prædictū annum, hereses inuenerunt, vel suscitârunt, quàm qui hæreticorū Capita aut Duces sunt, vel fuerunt, quales sunt, Lutherus, Zvvinglius, Calvinus, Balthasar Pacimontanus, Schvvenfeldius, & his similes, cuiuscunq; nominis, tituli, aut argumenti existant, omnino prohibentur.

Aliorum autem hæreticorum libri, qui de religione quidem ex professo tractant, omnino damnantur.

Qui verò de religione non tractant, à Theologis Catholicis, iussu Episcoporum & Inquisitorum examinati & approbati, permittuntur.

Libri etiam Catholicè conscripti, tam ab illis, qui postea in hæresim lapsi sunt, quàm ab illis, qui post lapsum ad Ecclesiæ gremium rediere, approbati à facultate Theologica alicuius Vniuersitatis Catholicæ, vel ab Inquisitione generali, permitti poterunt.

## REGVLA III.

**V**ersiones scriptorum etiam Ecclesiasticorū, quæ hætenus

nus editæ sunt à damnatis auctõribus , modò nihil contra sanam doctrinam contineant , permittuntur.

Librorum autem veteris testamenti versiones , viris tantum doctis & piis, iudicio Episcopi concedi poterunt ; modò huiusmodi versionibus tanquam elucidationibus vulgatæ editionis , ad intelligendam sacram scripturam, non autem tanquam sacro textu, vtantur.

Versiones verò noui testamenti , ab auctõribus primæ classis huius Indicis factæ, nemini concedantur , quia vtilitatis parum , periculi verò plurimum lectoribus ex earum lectione manare solet.

Siquæ verò annotationes cum huiusmodi quæ permittuntur versionibus , vel cum vulgata editione circumferuntur , expunctis locis suspectis à facultate Theologica alicuius Vniuersitatis Catholicæ , aut Inquisitione generali, permitti eisdem poterunt , quibus & versiones.

Quibus conditionibus totum volumen Bibliorum, quod vulgò Biblia Vatabli dicitur , aut partes eius , concedi viris piis & doctis poterunt.

Ex Bibliis verò Isidori Clarij Brixiani prologus & prolegomena præcidantur ; eius verò textum, nemo textum vulgatæ editionis esse existimet.

### R E G V L A I I I I .

Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua , passim sine discrimine permittantur , plus inde, ob hominum temeritatem, detrimenti , quàm vtilitatis oriri , hac in parte iudicio Episcopi , aut Inquisitoris stetur, vt cum consilio Parochi vel Confessarij, Bibliorum, à Catho-



LIBRIS PROHIB.

13

à Catholicis auctoribus verforum, lectionem in vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint, ex huiusmodi lectione non damnum, sed fidei atque pietatis augmentum capere posse; quam facultatem in scriptis habeant.

Qui autem absque tali facultate ea legere seu habere præsumpserit, nisi prius Biblijs Ordinario redditis, peccatorum absolutionem percipere non possit.

Bibliopolæ verò, qui prædictam facultatem non habenti, Biblia idiomate vulgari conscripta vendiderint, vel alio quouis modo concesserint, librorū precium, in vsu pro ab Episcopo conuertendū, amittant; alijsque poenis pro delicti qualitate, eiusdē Episcopi arbitrio subiaceant.

Regulares verò, non nisi facultate à Prælatiis suis habita, ea legere, aut emere possint.

REGULA V.

**L**ibri illi, qui hæreticorum auctorum opera interdum prodeunt, in quibus nulla aut pauca de suo apponunt, sed aliorum dicta colligunt, cuiusmodi sunt Lexica, Concordantiæ, Apophtegmata, Similitudines, Indices, & huiusmodi, si quæ habeant admixta, quæ expurgatione indigeant, illis, Episcopi & Inquisitoris, vnà cum Theologorum Catholicorum consilio, sublatis, aut emendatis, permittantur.

REGULA VI.

**L**ibri vulgari idiomate, de controuersijs inter Catholicos

B iij

licos



licos & hæreticos nostri temporis differentes, non passim permittantur, sed idem de ijs seruetur, quod de Biblijs vulgari lingua scriptis, statutum est.

Qui verò de ratione bene viuendi, contemplandi, confitendi, ac similibus argumentis vulgari sermone conscripti sunt, si sanam doctrinam contineant, non est cur prohibeantur, sicut nec sermones populares vulgari lingua habiti.

Quodsi hætenus in aliquo regno, vel prouincia, aliqui libri sunt prohibiti, quod nonnulla continerent, que sine delectu ab omnibus legi non expediat, si eorum auctores Catholici sunt, postquam emendati fuerint, permitti ab Episcopo & Inquisitore poterunt.

## R E G V L A V I I

**L**ibros qui res lasciuas, seu obscenas, ex professo tractant, narrant, aut docent, cum nõ solum fidei, sed & morum, qui huiusmodi librorum lectione facillè corrumpi solent, ratio habenda sit, omnino prohibentur: & qui eos habuerint, seuerè ab Episcopis puniantur.

Antiqui verò ab ethnicis conscripti, propter sermonis elegãtiam, & proprietatem, permittuntur, nulla tamè ratione, pueris prælegendi erunt.

## R E G V L A V I I I.

**L**ibri quorum principale argumentum bonum est, in quibus tamen obiter aliqua inserta sunt, quæ ad hæresim seu impietatem, diuinationem, seu superstitionem spectant,  
à Catho-

LIBRIS PROHIB.

15

à Catholicis Theologis Inquisitionis generalis auctoritate expurgati, concedi possunt.

Idem iudicium sit de prologis, summarijs, seu annotationibus, quæ à damnatis auctoribus, libris non damnatis, appositæ sunt; sed posthac non nisi emendati excudantur.

REGULA IX.

**L**ibri omnes, & scripta, Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Onomantiæ, Chiromantiæ, Necromantiæ, siue in quibus continentur sortilegia, veneficia, auguria, auspicia, incantatiões artis magicæ, prorsus reijciuntur.

Episcopi verò diligenter prouideant, ne Astrologiæ iudiciariæ libri, tractatus, indices, legantur vel habeantur, successibus fortuitisue casibus, aut ijs actionibus, quæ ab humana voluntate pendent, certò aliquid euenturum affirmare audent.

Permittuntur autem iudicia & naturales obseruationes, quæ nauigationis, agriculturæ, siue medicæ artis iuuandæ gratia, conscripta sunt.

REGULA X.

**I**N librorum aliarumue scripturarum impressione seruetur, quod in Lateranensi, sub Leone Decimo, sessione decima statutum est.

Quare si in alma vrbe Roma, liber aliquis sit imprimendus, per Vicarium Summi Pont. & Sacri Palatij Magistrum,

gistrum, vel personas, à Sanctiss. Domino nostro deputandas, priùs examinentur.

In alijs verò locis, ad Episcopum, vel alium habentem scientiam libri, vel scripturæ imprimendæ, ab eodem Episcopo deputandum, ac Inquisitorem hæreticæ prauitatis, eius ciuitatis vel diœcesis, in qua impressio fiet, eius approbatio & examen pertineat, & per eorum manū propria subscriptione gratis, & sine dilatione imponendam, sub pœnis & censuris in eodem decreto contentis, approbetur; hac lege & conditione addita, vt exemplum libri imprimendi authenticum, & manu auctoris subscriptum, apud examinatore remaneat.

Eos verò, qui libellos manuscriptos vulgant, nisi ante examinati probatiq̃ue fuerint, iisdem pœnis subijci debere iudicârunt Patres deputati, quibus Impressores, & qui eos habuerint & legerint, nisi auctores prodiderint, pro auctore habentur.

Ipsa verò huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, & in frõte libri vel scripti, vel impressi, authenticè appareat, probatioq̃; & examen, ac cætera gratis fiant.

Præterea in singulis ciuitatibus, ac Diœcesibus, domus vel loci, vbi ars impressoria exercetur, & Bibliothecæ librorum venalium sæpiùs visitentur. à personis ad id deputandis ab Episcopo, siue eius Vicario, atque etiam ab Inquisitore hæreticæ prauitatis, vt nihil eorū quæ prohibentur, aut imprimatur, aut vendatur, aut habeatur.

Omnes verò librarij, & quicunque librorum venditores, habeant in suis Bibliothecis indicem librorum venalium, quos habent, cum subscriptione dictarum personarum, nec alios libros habeant aut vendant, aut quacunque

cunqueratione tradant , sine licentia eorundem deputandorum, sub pœna amissionis librorum, & alijs arbitrio Episcoporum vel Inquisitorum imponendis : emptores verò, lectores vel impressores, eorundem arbitrio puniantur.

Quòd si aliqui libros quoscunq; in aliquam ciuitatē introducant, teneantur iisdē personis deputandis renunciare ; vel si locus publicus mercibus eiusmodi constitutus sit, ministri publici eius loci , prædictis personis significant, libros esse adductos.

Nemo verò audeat , librum, quem ipse , vel alius in ciuitatem introduxit, alicui legendum tradere, vel aliqua ratione alienare, aut commodare, nisi ostenso prius libro, & habita licentia à personis deputandis, aut nisi notoriè constet, librum iam esse omnibus permissum.

Idem quoq; seruetur, ab hæredibus, & exequutoribus vltimarum voluntatū , vt libros à defuncto relictos, siue eorum indicem, illis personis deputandis offerant, & ab iis licentiam obtineant , priusquam eis vtantur, aut in alias personas, quacunq; rationē eos transferant.

In his autem omnibus & singulis, pœna statuatur, vel amissionis librorum, vel alia, arbitrio eorundem Episcoporum vel Inquisitorum, pro qualitate contumaciæ, vel delicti.

Circa verò libros, quos Patres deputati, aut examinârunt, aut expurgârunt, aut expurgandos tradiderunt, aut certis conditionibus, vt rursus excuderentur, concesserunt, quidquid illos statuisse constiterit, tam bibliopola, quàm cæteri obseruent.

18. REG. DE LIB. PRO.

Liberum tamen sit Episcopis, aut Inquisitoribus generalibus, secundum facultatem quam habent, eos etiam libros, qui his Regulis permitti videntur, prohibere, si hoc in suis regnis, aut prouinciis, vel dioccesibus expedire indicauerint.

Cæterum nomina, cum librorum, qui à Patribus deputatis purgati sunt, tum eorum quibus illi hanc prouinciam dederunt, eorundem deputatorum Secretarius, Notario sacre vniuersalis Inquisitionis Romanæ, descripta, Sanctissimi Domini nostri iussu tradidit.

Ad extremum verò omnibus fidelibus præcipitur, ne quis audeat contra harum Regularum præscriptum, aut huius Indicis prohibitionem, libros aliquos legere aut habere.

Quòd si quis libros hæreticorum, vel cuiusuis auctoris scripta, ob hæresim, vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, atq; prohibita, legerit, siue habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat.

Qui verò libros, alio nomine interdictos legerit aut habuerit, præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Episcoporum seuerè puniatur.

INSTRV-

INSTRVCTIO EO-  
RVM, QVI LIBRIS, TVM  
prohibendis, tum expurgandis, tum etiam  
imprimendis, diligentem, ac fidelem  
( vt par est ) operam sunt  
daturi.

**A**d fidei Catholicae conseruationem, non satis est quinam ex iam  
editis libris damnatae lectionis sint, cognoscere: ( quod Indice &  
Regulis confectis per Patres, à Generali Tridentina Synodo delectos,  
praecipue sancitum est ) nisi illud etiam caueatur, ne vel ydem denuo  
pullulent libri, vel similes alij emergant & propagentur, qui incautas fi-  
delium mentes occulto veneno insipientes, iusta ac merita damnatione  
digni iudicentur.

Vt igitur, quicumque posthac, seu veteres, seu noui libri edentur,  
quàm maxime puri, & tam in iis, quae ad fidem, quàm quae ad mores  
pertinent, incontaminati existant: quid circa malorum librorum  
interdictionem, ad eos penitus abolendos, tam ab Episcopis & Inquisi-  
toribus, quàm à ceteris, quorum ad id in Ecclesia Dei studium valere,  
& auctoritas potest: ( praeter ea quae Tridentinorum Patrum Regu-  
lis supradictis decreta sunt ) publica utilitas exigat, capitibus infra  
positis diligentius sancitur, iisdemq; statuitur, quae omnino in posterum,  
tum ab iisdem Episcopis, & Inquisitoribus, alijsq; vi praefertur, in ma-  
lorum librorum interdictione, & abolitione, tum à Correctoribus in li-  
brorum, ac ceterorum quorumcunque scriptorum correctione, atque  
emendatione, tum à Typographis, in ipsorum librorum impressione,  
( poena pro arbitrio Episcopi, & Inquisitoris, aduersus eosdem Typo-  
graphos constituta ) inuiolatè sunt obseruanda.

CAPITA DE  
PROHIBITIONE  
LIBRORVM.

§ I.

**C**Vrent Episcopi, & Inquisitores, vt statim, atque Index prohibitionis fuerit promulgatus, eorum Iurisdictioni subiecti, ad ipsos descripta sigillatim deferant nomina librorum omnium, & singulorum, quos apud se damnatos quisq; reperiet.

Ad eos verò sic significandos, infra certum tempus, ab Episcopo, vel Inquisitore præscribendum, omnes cuiuscunq; gradus, & conditionis extiterint, sub graui pœna, eorum arbitratu infligenda, teneantur.

§ II.

**S**I qui erunt, qui librum vnum, aut plures ex prohibitis, qui ad præscriptum Regularum permitti possunt, certa aliqua ex causa, potestatem sibi retinendi, aut legendi fieri ante expurgationem desiderent: concedendæ facultatis extra Urbem, ius erit penes Episcopum, aut inquisitorem, Romæ, penes Magistrum sacri palatij.

Qui quidem, gratis eam, & scripto manu sua subsignato tribuent, de triennio in triennium renouandam; ea inprimis adhibita consideratione, vt nonnisi viris dignis,



gnis, ac pietate, & doctrina conspicuis, cum delectu, eiusmodi licentiam largiantur, iis autem in primis, quorū studia, vtilitati publicæ, & sanctæ Catholicæ Ecclesiæ vsui esse, compertum habuerint.

Quicumq; inter legendum, quæcunque repperint, animaduersione digna, notatis capitibus, & foliis, significare Episcopo vel Inquisitori teneantur.

§ III.

**I**llud etiam Catholicæ fidei conseruandæ necessitas extra Italiam, maximè cum ab Episcopis, & Inquisitoribus; tum à publicis Vniuersitatibus omni doctrinæ laude florentibus postulat, vt eorum librorum Indicem confici, & publicari curent; qui per eorum regna, atque prouincias, hæretica labe infecti, ac bonis moribus contrarij, vagantur, siue illi propria nationis, siue aliena lingua, conscripti fuerint.

Vtque ab eorum lectione, seu retentione, certis pœnis, ab eisdem Episcopis, & Inquisitoribus, propositis eorundem regnorum, ac prouinciarum homines, arceant.

Ad quod exequendum, Apostolicæ sedis Nuntij, & Legati extra Italiam, eosdem Episcopos, Inquisitores, & Vniuersitates, sedulo excitare dedebunt.

§ IIII.

**I**dem Apostolici extra Italiam Nuntij, siue Legati, nec non in Italia, Episcopi, & Inquisitores, eam curam suscipient, vt singulis annis, catalogum diligenter collectum

librorum in suis partibus impressorum, qui aut prohibiti sint, aut expurgatiōe indigeant, ad sanctam Sedem Apostolicam, vel Congregatiōem Indicis, ab illa deputatam, transmittant.

## § V.

**E**piscope, & Inquisitores, seu ab iisdem subdelegati, & deputati, tam in Italia quàm extra, penes se habeant singularum nationum Indicem; vt librorum, qui apud illas damnati, ac prohibiti sunt, cognitionem habentes, facilius prospicere possint, an etiam, à suæ iurisdictionis terris, eosdem recognitos, arcere, vel retinere debeant.

## § VI.

**I**n vniuersum autem de malis, & perniciosis libris id declaratur, atque statuitur, vt qui certa aliqua lingua editi, ac deinde prohibiti, ac damnati à Sede Apostolica sunt; eosdem quoq; in quacumq; postea vertantur linguam, censerì, ab eadem Sede, vbiq; gentium, sub eisdem pœnis interdictos, & damnatos.

## DE CORRECTIONE

## LIBRORVM.

## § I.

**H**abeant Episcopi & Inquisitores coniunctim facultatem,

tatem, quoscunq; libros iuxta præscriptum huius Indicis, expurgandi, etiam in locis exemptis, & nullius, vbi verò nulli sunt Inquisitores, Episcopi soli.

Librorum verò expurgatio, non nisi viris eruditione & pietate insignibus committatur, ijque sint tres, nisi fortè considerato genere libri, aut eruditione eorum, qui ad id deligentur, plures, vel pauciores, iudicentur expedire.

Vbi emendatio confecta erit, notatis capitibus, paragraphis, & foliis, manu illius, vel illorum qui expurgauerint, subscripta, reddatur, eisdem Episcopis & Inquisitoribus, vt præfertur, qui si emendationem approbaerint, tunc liber permittatur.

## § II.

**Q**ui negotium susceperit corrigendi, atque expurgandi, circumspicere omnia, & attentè notare debet, non solum, quæ in cursu operis, manifestè se offerunt, sed si quæ in scholiis, in summariis, in marginibus, in indicibus librorum, in præfationibus, aut epistolis dedicatoriis, tanquam in insidiis delitescunt.

Quæ autem correctione, atque expurgatione indigent, ferè hæc sunt, quæ sequuntur.

Propositiones hæreticæ, erroneæ, hæresim sapientes, scandalosæ, piarum aurium offensivæ, temerariæ, schismaticæ, seditiosæ, blasphemæ.

Quæ contra Sacramentorum ritus, & cæremonias, contraq; receptum usum, & consuetudinem sanctæ Romanæ

manæ Ecclesiæ, nouitatem aliquam inducunt.

Profanæ etiam nouitates uocum ab hæreticis exco-  
gitatæ, & ad fallendum introductæ.

Verba dubia & ambigua, quæ legentium animos, à  
recto Catholicoq; sensu, ad nefarias opiniones, adducere  
possunt.

Verba sacræ scripturæ, non fideliter prolata, vel è  
prauis hæreticorum uersionibus deprompta; nisi fortè af-  
ferentur, ad eosdem hæreticos impugnandos, & propriis  
telis iugulandos, & conuincendos.

Expungi etiam oportet uerba scripturæ sacræ, quæ-  
